

**Facultatis Medicae Decanus D. Christoph. Ludovicus Nebel candidati  
Praenobilissimi Dn. Wilhelmi Booke Hildesiensis Sollemnia inauguralia  
indicit simulque De synchondrotomia breviter disserit.**

### **Contributors**

Booke, Wilhelm.  
Nebel, Christopher Ludovic.  
University of Glasgow. Library

### **Publication/Creation**

Giessae-Hassorum : Ex Officina Brauniana, 1780.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/rbbhjndn>

### **Provider**

University of Glasgow

### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.




Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

FACULTATIS MEDICAE DECANVS  
D. CHRISTOPH. LVDOVICVS  
NEBEL

CANDIDATI PRAENOBILISSIMI  
DN. WILHELMI BOOKE  
HILDESIENSIS

SOLLEMNIA INAUGVRALIA  
INDICIT  
SIMVLQVE  
DE SYNCHONDROTOMIA  
BREVITER DISSERIT.




GIESSAE - HASSORVM  
MDCCLXXX.

---

EX OFFICINA BRAVNIANA.





§. I.


**D**e Comparatione inter sectionem Caesaream atque Synchronotomiam, siue dissectionem cartilaginis atque ligamentorum ossium pubis in partu ob pelvis angustiam impossibili multa haecenus in medicorum scholis sunt disputata, & uti in rebus novis fieri solet haud pauca scripta prodierunt.

§. II. Primus omnium, qui contra hanc operationem dubia movit est D. D. SCHMIDT, auditor quondam meus perindustrius, vid. eius diss. inaug. de nuper proposita sectione synchronotomiae ossium pubis in partu difficili. Giesse, 1777. Hoc scriptum longa series aliorum secuta est, quae paucis omissis Celeberr. D. D. SIEBOLD in dissertatione: comparatio inter sectionem




nem caesaream & dissectionem cartilaginis ligamentorum pubis, in partu ob pelvis angustiam impossibili. Wirceburgi MDCCLXXIX. enumerat. Ad nouissima pertinet opusculum auctore D. BERNH. CHRIST. FAVST digno celeberr. STEINII discipulo quod prodiit sub tit. Untersuchung des Wehrts der Trennung der Schoosbeine bey schweren Geburten. Gotha MDCC-LXXX. in quo synchondrotomia in iustum agitur exilium, & fautores eius, inprimis D. LE ROI pro merito castigantur. Propugnauerunt autem denuo pro illa operatione recentissime, mense nimirum medio huius anni Celeberr. D. IAEGER & IRION in Diff. examen rationum sectionem ossium pubis oppugnantium vel limitantium, qui, vt pag. XXXII. aiunt, gratas obstetricantium a feminis nimia male formatae pelvis angustia laborantibus inire sperant, quibus ob hoc vitium recentior scriptor BOVNDER Diff. noua methodus remouendi a partu omnia quae praeuideri possunt. Argentor. MDCCLXXV. dulce delictum coniugii & iucundum matris nomen interdiceret voluit. Nos quidem ipsis hanc gratiam hasque laudes fane non inuidemus.

§. III. Haud equidem eo inficias, me intime laetatum esse, accepto primo nuncio de inuenta vel a CAMPERO vel SIGAVLDO separatione ossium pubis. Nunc enim nulli parienti, nulli foetui ob artis imbecillitatem pereundum esse, nunc mortiferis vncis,  
nunc



nunc perforatorio & horrenda sectione caesarea tuto careri posse, sperabam. Simulac vero in cadaueribus nonnullis operationem illam instituendi occasio data erat & rationes illam suadentes ac dissuadentes paulo accuratius ponderaueram, omnis voluntas, eam unquam suscipiendi, protinus euanescebat. Nec magis honorifice de illa sentiebant medici quidam & artis obstetriciae viri peritissimi, inter quos Celeberrimum STEINIVM & THILENIVM nominasse sufficit, ut ex eorum ad me datis literis cognoui.

§. IV. Crambem bis coctam adponerem, si argumenta huic operationi aut fauentia aut obstantia hic repetere vellem. Praecipua tamen horum nonnulla adduxisse iuvat. Liquet quod pelvis capacitas sectionis synchondroseos ope ampliatur quidem, at non in tota sua circumferentia aequabiliter, quodque recta diameter aperturae superioris, cuius dilatatione maxime opus esset, aliquot solummodo lineolis augeatur. Quod autem diametrum attinet transversam, haec augeatur quidem, tam in superiori quam inferiori apertura; id quod ex structura & coniunctione ossium patet. Diductis enim pubis ossibus, ossa innominata in latera cedunt, hinc transversa elongatur diameter. Ossa autem pubis eandem fere distantiam a promotorio ossis sacri seruant. Nam nec os sacrum retrorsum cedere valet, nec ossa innominata antrorsum gliscunt. Verum enim vero raro transversa diameter partum




retardat vel impedit, nisi & rectae arcitudo accedat. Licet enim in vitiatis peluibus arcus ossium pubis quam maxime introrsum pellatur, transuersa tamen fere semper quinque pollices aequat.

§. V. Probata itaque est inutilitas synchondroseos ossium pubis in eo casu vbi superior apertura nimis arcta est, Quod autem inferiorem diametrum transuersam attinet, haec aliquando ob nimiam suam coarctationem partum admodum difficilem per vias naturales, imo plane impossibilem reddere valet. Aliquando enim haec diameter tres solum pollices aequat, aliquando ne hanc dimensionem quidem attingit *a*). Et hoc casu, si scilicet haec diameter tribus pollicibus minor est, si caput foetus in peluis cauum per dolores depressum inferiorem aperturam transire nequit, & ita intra duas peluis aperturas haeret, sectio synchondroseos alicuius utilitatis esse videtur, sed talibus premitur difficultatibus statim indicandis, vt penitus releganda sit *b*). Si autem peluis diameter pollices  $3\frac{1}{2}$  aequat, ope forcipis foetus educi utique potest, nisi caput praeternaturali modo crassum sit, quod exemplis ex praxi mea probari possem, si opus foret.

#### §. VI.

*a*) Peluis dimensionem inuento a Celeberr. STEINIO Peluimetro accurate determinari posse, vix opus est vt dicam.

*b*) Conf. BENTLEY de Sectione Synchondroseos ossium pubis. Argentorat. 1779.



§. VI. Dixi sectionem synchondroseos grauibus premi difficultibus. Per dissectionem nimirum & secesum ossium pubis diameter peluis minor, in qua tamen omnis nodus gordius latet, a quinque aut sex lineis non magis quam ad vnicam lineam vsque, augeri potest; modo ossa conuexa sint & arcuata. Si enim planiora sunt, nulla fere dilatatio sequitur. Nisi ergo violenter ossa pubis diducantur, & symphyfes sacro iliacae extendantur, spatium sufficiens ad extrahendum foetum non datur. Haec autem extensio symphysium sacro iliacarum, quantumvis caute instituat, absque disruptione ligamentorum vix fieri potest. Inflammatio igitur, suppuratio & gangraena insequi potest, ac nullus tunc locus auxilii, nulla spes salutis datur.

§. VII. Plerumque medicus obstetricans ad partum difficilem fero accersitur. Quomodo vero quaeso, vbi caput inclauatum est, tumor eius totam viam partus implet, tam accuratam mensuram instituere potes, vt diiudicare queas, an via haec, quantum fieri potest, dilatata fiat satis ampla, an vero nihilominus arcta nimis maneat, & facta sectione foetus neque eo secius sit occidendus? Et quid si foetus mortuus sit, vti in casu quem D. D. SIEBOLD describit, in dissertatione allegata pag. 40. Nonne sectionis factae te valde poenitebit? Vtrum autem foetus viuat, an mortuus sit, aliquando vix ac ne vix quidem certo detegi potest.

§. VIII.



§. VIII. Sed obseruationibus atque experimentis suffulta est ista operatio, inquires. Quid opus est verbis ubi rerum argumenta loquuntur? Bona verba quaeso! minime commendant operationem illa experimenta instituta. Alia enim infelicissime successerunt; & quod de aliorum prospero successu narratum est, fabulae erant. Sic gloriabatur D. DESPRES se die 23. Febr. 1778. dissecuisse cartilaginem ossium pubis, eo facto matrem illico feliciter peperisse; die post sectionem tertio sedisse ad focum, & die vigesimo secundo ad templum ab aedibus eius semi horae spatio dissitum iuisse; sed vanas esse has gloriationes docuerunt alii, probantes D. DESPRES synchondrosin ossium pubis minime dissecuisse. Confer. Journal de Medecine, Chirurg. & pharmacie, mens. Iul. 1778. pag. 428.

§. IX. De femina illa SVCHOT in qua D. D. SIGAVLT & LE ROI primo die octobr. 1777. synchondrotomiam instituerunt, anecdotas quasdam historias narrare possem sat memorabiles, si vir ille celeberrimus, qui mecum illas communicauit, permetteret, vt publici iuris faciam. Hoc mihi dicere palam licet, feminam istam SVCHOT minime restitutam, sed mutilam & male sanam redditam esse, ita vt in sella sedens Academiae Regia praelata fuerit, nec nisi duabus grallis suffulta nuper adhuc incedere potuerit.


§. X.



§. X. Celeberrimus D. D. SIEBOLD aliud consilium suggestit, quod ab auctoribus ephemeridum literariorum silentio omissum esse miror. Cum vero inquit pag. 64. differt. allegatae synchondrotomiam periculo & incertitudine non vacare constet, anne in tali pelvis angustia consultius esset circa septimi v. g. mensis graviditatis initium, os vteri successiue dilatare foetumque vi educere. Vero mihi, sunt verba eius: saltem simile videtur in longe minus periculum sic matrem adigi, foetumque capite tum valde adhuc paruo viuum per pelvis illas angustias educi posse, & conseruari. Sed parum idoneum & nunquam felici successu exsequendum mihi videri hoc consilium palam profiteor. Collum enim vteri septimo graviditatis mense nondum planum satis est, sed prominet; orificium vteri clausum est; & licet in illis, quae pluries pepererunt, externe apertum sit, interne tamen arcte & firmiter clausum est, & facta in eo irritatione firmitus adhuc contrahitur, reagit, reluctatur. Nunquam ergo haec violenta apertura orificii vterini sine laesione graui fieri potest. Haemorrhagiae certissime insequentur; nec tuti sumus ab inflammationibus, praua suppuratione & quae sunt reliqua. Foetus immaturus & tenellus resistentiam partium maternarum sine vitae periculo sustinere non poterit, & si posset, nimis debilis tamen est vitae producendae; vix ex numero centesimo quinque seruari poterunt. Forsan D. D. SIEBOLD in eas cogitationes inductus est anim-

b


ad-



aduertens, quod placenta quamuis vteri fundo prae reliquis partibus in situ vteri recto adhaerere soleat; attamen & aliis vteri partibus, quin imo ipsi orificio eadem interdum adhaereat, & quod in tali casu placenta oblata ac inde orta haemorrhagia orificium vteri dilatari & foetus educi soleat. Verum hoc casu conatus naturae adsunt, ac orificium vteri laxum, apertum, remissum est, vt ipsa haemorrhagia docet, quae omnia longe secus se habent in casu isto a D. D. SIEBOLD adlato.


Diutius his inhaerere non vacat. Muneris mei ratio iam postulat, vt publice significem sollemnia inauguralia Candidati doctissimi Dn. WILH. BOOKE Hildesienfis, qui per aliquot annorum spatium in Vniuersitate Argentoratensi commoratus scientiam salutarem eximia diligentia coluit. Quibus ille Magistris vsus sit, sequens vitae curriculum, ab ipso facultati medicae exhibitum, docebit.

IOANNES WILHELMVS BOOKE *natus sum Hildesii vicesimo nono die Mensis Martii Anno millesimo septingentesimo quadragesimo nono. Parentibus IOAN-FRANCISCO BOOKE Medicinae doctore, Matre CHRISTINA MAGDALENA BRVNS. Gymnasium Hildesii frequentavi sub Professoribus ANTONIO NITZGEN & IOSEPHO SIVERDES viris per quam eruditis; post modum Argentoratum profectus anno millesimo septin-*



septingentesimo septuagesimo octauo ab Excellentissimo & Experientissimo Domino LOBSTEIN Anatomiae & chirurgiae Professore, fasces Academicos tum temporis tenente in numerum studiosorum sum receptus. Apud hunc Excellentissimum Dominum Anatomiam, Physiologiam, Cadauerum sectiones, chirurgiam eiusque operationes atque demonstrationes anatomicas magno cum usu audiui. Apud Illustrem & Experientissimum Dominum SPIELMAN chemiam, Materiam medicam & pathologiam atque botanicam didici. Ex praelectionibus Experientissimi atque Excellentissimi Domini OSTERTAG artem obstetricandi tam theoreticam quam practicam cum maximo fructu hausi. Magnum denique emolumentum ex Dni Professoris EHRMANNI Colloquiis clinicis ad aegrotorum lectos in nosocomio ciuili cepi. His fundamentis rite positis, a vobis, Viri Experientissimi atque Excellentissimi, decenter peto ut ad consueta examina admittar, & postea consensu vestro adiutus, dissertationem inauguralem publice exhibere, atque ab illustri Senatu academico Doctoris medici gradum, ea qua decet reuerentia petere possim. Ceteroquin Vos Viri Experientissimi atque Excellentissimi praeter summam grati animi testificationem me vobis ad vitae tempus quam maxime deuinctum habebitis.

Ad examina consueta admissus Dn. Candidatus suam in arte salutari peritiam sufficienter probauit, qua-



propter illi facultas dissertationem inauguralem conscribendi ac defendendi data fuit. Hanc de Angina gangraenosa ex febre putrida proprio Marte elaboratam die XXVI. Octobr. ad obtinendam Doctoris medici dignitatem publice defendet. Cui actui academico sollemni ut interesse dignentur MAGNIFICVS ACADEMIAE RECTOR, MAGNIFICVS DN. PROCANCELLARIVS, ILLVSTRISSIMVS DN. COMES, EXCELLENTISSIMI ATQVE CELEBERRIMI ACADEMIAE PROCERES, ALIIQVE MV SARVM PATRONI AC FAVTORES, ea, qua decet, obseruantia & humanitate rogo.

Dab. in Acad. LVDOV. d. XXI. Octobr.  
MDCCCLXXX.

